



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. XXXIV. De Congregatione pro ubertate annonæ status Ecclesiastici.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

CAPUT XXXIV.

De Congregatione pro Libertate Annonæ Status Ecclesiastici.

1. *Quem in finem Sixtus V. hanc Congregationem erexerit.*
2. *Assignavit pro Annona comparanda 200000. Scutorum.*
3. *Qui spectent ad hanc Congregationem. Depositarium sine mandato Præfecti exponere nil potest.*
4. *Nunc tota ferè Annonæ cura relinquitur Præfecto, qui eligitur à Pontifice.*
5. *Officium illius & facultas.*
6. *Prohibitio non asportandi Annonam quos non comprehendat.*
7. *Quos adjutores & ministros habeat Præfectus.*

I.

**R**exit Sixtus V. *Constit. 74. Immensa* Congregationem Cardinalium, quæ curet non solum in Urbe, sed in universo etiam Statu Ecclesiastico temporaria copiam frumenti aliarumque frugum

B bb

ad



ad vitam sustentandam necessariorum; studeat quoque, si necesse sit, ut advehatur & comportetur, undecunque licuerit Annonam, ideoque præcipiat locis & personis quibuscunque quavis etiam Ecclesiastica atque Cardinalatus dignitate fulgentibus, ut ea omnia, quæ ad abundantiam parandam atque conservandam erunt opportuna, evehî è terris suis, & subministrari permittant; Eumque in finem Commissarios diversis in locis habeat, & contra impediētes advectionem Annonæ, vel negligentes procedat.

2. Pro Ubertate vero Annonæ perpetuo comparanda assignavit idem Sixtus V. *Const. 78. Abundantes* ducenta millia Scutorum, & pecuniæ illius curam commisit huic Congregationi, ne in alium usum convertatur, sed integra pro hoc fine conservetur; quod si in caritate Annonæ aliquid ex hac decesserit, illius redintegrandæ rationem & diligentiam adhibeat.

3. Præter cæteros Officiales spectant ad hanc Congregationem Thesaurarius Generalis Cameræ Apostolicæ, Clericus Annonæ Præfectus, & Commissarius Generalis, Apud Depositarium pecuniarum  
Cameræ



Camera Apostolicæ collocata est quoque prædicta summa ducentorum milium Scutorum: Sed hic erogare & expendere non potest hanc pecuniam nisi ex voluntate hujus Congregationis, & mandato Præfecti Annonæ pro more expedito.

Si vero consultum videatur summam illam in ærarium Apostolicum Castri S. Angeli referri & asservari, atque inde, quoties occasio postulaverit, liberè detur, & extrahi, id relinquitur arbitrio hujus Congregationis. Datorum vero & acceptorum rationes & computa in Camera Apostolica singulis trimestribus, in ipsa vero Cardinalium Congregatione singulis annis reddi debent. *Sixtus V. Const. 78. Abundantes.*

4. Verum hoc tempore Congregatio si aliquid circa Annonam, nisi cum hæc notabiliter ingravescit, ordinare solet, sed tota ferè cura relinquitur Annonæ Præfecto. Eligitur is à Pontifice ex Clericis Camera Apostolicæ, eique datur jurisdictio per totum Statum Ecclesiasticum in Italia Pontifici subjectum, ut vocant, Patrimonium S. Petri.

5. Officium illius est curare ac dirigere omnia, quæ ad Annonam & rei fru-



mentariæ negotium quomodolibet pertinent; Ideo amplissimam accepit facultatem frumenta & legumina undique advehendi, eaque justo pretio emendi. *Gregor. XIII. Const. 35. Inter cætera,* atque etiam cogendi quoscunque cujuscunque Ordinis, & dignitatis ad indicandum eorum frumenta, & legumina, prohibendi ne illa asportentur de loco ad locum sine ejus licentia, fraudesque in iis committentes coercendi.

6. Prohibitio vero quæ fit ab eo, ne Annona asportetur, non comprehendit extrahentes quantitatem necessariam ad sustentationem suam & suarum familiarum unius anni, seu usque ad novam messem; Nec pauperes, qui spicas in agro colligunt pro victu unius diei; Nec Religiosos mendicantes pro elemosyna ad communem victum Conventuum suorum; Nec Rusticos & Operarios, qui mercedem diurnam alias consequi non possunt; Nec portantes pullos, ova, fructus, & similia ad mercatum, ut ex pretio panem, farinam & similia pro se & familia conficiant. *Greg. XV. Const. 30. §. 3. Cæteris autem concessæ facultates extrahendi*

Anno.



Annonam & Grasciam sunt revocatæ  
& annullatæ *Urbanus VIII. Constit. 30.*

*Superi.*

7. In hoc Officio decem habet Mini-  
stros, qui illi sunt adjumento, & à ser-  
vicio, nimirum: Commissarium Gene-  
ralem, Commissarium Substitutum,  
Computatorem, Custodem frumento-  
rum, Custodem clavium pro granariis,  
aliumque tertium Custodem, duos qui  
præsunt Mensoribus, Exactorem unum,  
& unum, qui colligit schedulas, in qui-  
bus annotata est ad portam Annona in  
Urbem invec̃ta. Habet præterea in di-  
versis locis Commissarios pro comparan-  
dis frumentis aliisque negotiis expedien-  
dis. Proprium quoque habet Tribunal  
cum Notario, & Apparitoribus, eo-  
rumque Capitaneo, & in causis Anno-  
nam concernentibus Judex est Ordina-  
rius. *Greg. XIII. l. 6. Lunadoro.*

## CAPUT XXXV.

De Congregatione pro Uber-  
tate Grasciæ Urbis.

*Instituit hanc, Congregationem Paulus V.*

*Bbb 2*

*2. Qui*